



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Exercitium Perfectionis, Et Virtutum Christianarum

In tres Partes distinctum

Rodríguez, Alonso

Coloniæ Agrippinæ, 1622

Cap. XIII. Quid causæ sit, quod quamvis tam mirandus faciat effectus hoc diuinum sacramentum, aliqui tamen, qui hoc frequentant, non sentiant.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40093

confilit, vt quis consolationes habeat & delectationes, nec vt quis multas considerationes & magnas habeat contemplationes, sed vt quis ex oratione redeat humilis patiens, indifferens & mortificatus. Eodem modo & bona Communio & eius fructus non inde dependet, nec inde metienda est vt quis multas habeat considerationes, quantum unque etiam illa sancta & bona sint, nec ob delectationes & consolationes, sed ob passionum mortificationem & maiorem resignationem & cum Dei voluntate conformitatem, quae inde eruuntur.

Hinc quiddam magnae consolationis colligitur, quod semper in nostra sit potestate bene communicare, & magnum ex Communionis fructum referre, nam penes nos est Deo iuuante in Dei manus nos resignare, mortificare, & emendare, quod scimus diuinæ Maiestati displicere. Quod si feceris, magnum ex communionis fructum feres, supera, mortifica & corrige quotidie aliquid. Cadit idolum Dagon in praesentia arcae testamenti. Hoc idolum honoris, hoc deliciarum idolum & comodatatum, hoc propriae voluntatis ob reuerentiam tanti Domini humi corruat, vti nam hoc modo communicare nos mortificando & aliquid corrigendo, quantum parui momenti sit, quantum proficeret anima nostra?

Hieronymus.
Erom. 31. 27.

S. Hieronymus exponit, quod sapiens ait de forti muliere: *Considerauit semitas domus sua, & panem ociosa non comedit.* Semitas domus dicit esse examen & praeparationem, quae ad hanc diuinam mentem requiritur. Quodque dum quis ex sacra Communionis fructum refert, dicatur non ociosus panem comedere, quandoquidem illi prodest, quod comedit. Sed vae tibi, qui tot annos panem hunc ociosus comidisti, quia nunquam te vicisti, nec aliquam passionem aut vitium mortificasti. Grauius ergo toras, quandoquidem nihil prodest, quicquid comedis. Ne vero posthac id contingat, intret quisque ad se, & semitas animae suae consideret, adspiciat passionem, vitium vel inclinationem, quae illi maiori

est damno vel impedimento, & satagat illa tollere & mortificare, donec cum S. Apostolo Paulo dicere possit: *uiuo autem Gal. 2. iam non ego: uiuit uero me Christus.* In qua uerbo ait S. Hieronymus: *Id est, non uiuit ille, qui quondam uiebat in lege, qui tunc persequatur Ecclesiam, uiuit autem in eo Christus, id est, sapientia, fortitudo, sermo, pax, gaudium, ceteraque uirtutes, quas qui non habet, non potest dicere: uiuit autem in me Christus.*

CAPVT XIII.

Quid cause sit, quod quamuis tam mirandos faciat effectus hoc diuinum Sacramentum, aliqui tamen, qui hoc frequentant, non sentiant.

QUAERET aliquis, quandoquidem hoc sanctissimum sacramentum tantam confert gratiam, & tantos & tam mirabiles producat effectus, quid cause sit, quod multi saepius hoc frequentantes & communicantes in anima non solum non sentiant illam iucunditatem & spiritualem dulcedinem, de qua diximus, uel ueritatem in uirtute non uidentur proficere sed semper quasi sui similis esse? Aliqui respondere solent hoc uulgari proterbio. Nimirum familiaritas parit contemptum: sibi persuadentes crebram frequentationem causam esse, vt tanta cum reuerentia & dispositione non accedant, ideoque tantum fructum non referant. Sed falluntur: hoc a locum in spiritualibus, & Dei conuersatione non habet: imo nec in hominibus sapientibus & prudentibus, frequentior enim cum his conuersatio & familiaritas maiorem gignit existimationem & reuerentiam, quo n. quis saepius cum humiliori agat, tanto plus eorum prudentiam & uirtutem perspicit, & admiratur. Concedamus uero proterbium hoc in mun-

mundi sapientibus locum habere, ut enim in hac misera vita nullus tam potest esse perfectus, qui alicui virio non subiacet, quod agendo cum eo sapius & familiariter detegitur, potest magna familiaritas causa esse, ut opinio & illius existimatio minuatur. In Dei vero commercio & familiaritate locum habere non potest, ut enim hic Dominus infinitæ perfectionis & sapientiæ est, quo quis sapius cum illo tractat & melius illum nouit, tanto maiore illum honore & reuerentia prosequitur, ut videre est in sanctis Angelis & beatis, qui Deum perfectissime in cælo noverunt, & familiariter cum illo agunt. Quod & hic in mundo experimur, quo enim quis plus cum Deo per orationem agit, tanto maiorem illi exhibet honorem & reuerentiam. Quod exacte exprimitur eo, quod Euangelium refert de muliere Samaritana, quæ prius cum Christo, ut aliquo ex plebe agebat dicens: *Quomodo tu, Iudeus cum sis, videri à me petis, quæ sum mulier Samaritana.* Proprie nationis illum nominabat vocabulo, sed ultra procedendo in colloquio Dominum vocat: *Domino, da mihi hanc aquam.* Et paulatim progrediens Prophetam dicit: *video, quia Propheta es tu.* Et ad vltimum Christum & Messiam agnoscit. Idem & in sacramentorum frequentatione accidit: vna enim Communio alterius est dispositio. Et magnus error est, cogitare, quo quis infrequentius hoc sanctissimum sacramentum accedit, tanto maiore cum præparatione & reuerentia accessurum. Hincque recte dicebant SS. Augustinus & Ambrosius, quod qui non meretur illud quotidie accipere, non meretur post annum accipere.

Questioni ergo & dubio respondens dico primo, Quod quis tantum non percipiat fructum huius sanctissimi sacramenti frequentatione, aliquando nostra culpa euenire, quod ad accipiendum nos debere non præparemus & disponamus, sed illud ex mera consuetudine accedamus, quod idem est, ac si quis dicat: Communio, quia alii communicant, vel quia iam in consuetudinem veni, quod acce-

Rodriguez exercit. pars 2.

damus, quasi per cerimoniam, nulla præuia consideratione, nec examine eius, quod accepturi sumus, hæc causa est, quod parum fructus percipiamus. Ideo dum quis sentit huius sancti sacramenti frequentatione non se proficere nec progredi, bene ei videndum & examinandum, num id dispositionis defectu euenit, si sic se res habet, conetur corrigere.

Alias hoc accidere solet, & quis scienter in venialia peccata labatur. Duo sunt venialium peccatorum genera, alia quæ nobis non aduertentibus, quamuis aliqua cum negligentia, fiunt: alia quæ scienter & ex proposito fiunt. Venialia peccata, in quæ inscii labantur Deum timentes & in eius seruitio diligentes cadunt, hoc damnificum non adferunt, sed quæ deliberata voluntate & proposito committuntur à tepidis & in Dei seruitio negligentibus, magna ex parte huius sanctissimi sacramenti diuinos hos effectus impediunt & abrumpunt. Quod & dici potest de defectibus, quos quis deliberate & ex proposito in obseruatione regulæ & instituti committit, ut pater solet filio, qui deliquit, vultum austerum ostendere, ut eo illum corripiat, & moneat, ut post à simile delicto sibi caueat, idem & nobis solet facere Deus in Communionem & orationem. Si ergo participes copiosi fructus, quo frui solent, qui debite hoc diuinum sacramentum accedunt, esse velimus, opus, ne scientes in errores & defectus labantur. Quod bene à timentibus Deum norandum, quod magni momenti sit, ut ille Deus gratia sua donet.

Tertio dico: quod quis hoc diuino sacramento dictos effectus non sentiat, scilicet minus nullam ob culpam contingere, nec ideo magnum in animo fructum non recipere, quamuis sibi non videatur sentire, ut dici solet de oratione, de qua multi idem queri solent, quod quamuis quis in ea illum oblectationem & consolationem non sentiat, quam velle, & alias forsant sentire solet, ideo non minorem ex ea utilitatem consequitur: ut quamuis infirmo cibis non sapit, non tamen illi non est qua-

II sten-

Ludou. Blosius
in speculo spiri-
rituali c. 6.
Secundalapsus
frequens in pec-
cata venialia
is que plene vo-
luntarius &
deliberatus.

Tertia quia
fructus sopo
Deo ita volen-
se nos latet.

stentationi & commodo: Hæc profu-
disimæ Dei prouidentie sunt, qui hoc modo
solutus est seruos suos purgare & probare,
exercere & humiliare, & alia inde elice-
re sibi nota bona. His accedit, quod hoc sa-
cramentum aliquando iam secreto ope-
retur, vt homo vix animaduertat, gratia
enim fere nature congruenter operatur
paulatim, vt in planta apparet, quæ cres-
cens, quamuis non videatur crescere, ta-
men creuisse aduertitur. Hinc dicit S. Lau-
rentius Iustinianus, quod sicut corporeis
cibus hominem sustentet & crescere faciat,
quamuis à nobis nõ videatur, eodem mo-
do & diuinum hoc Sacramentum corro-
borat & confortat animam gratiarum au-
gmento, quamuis non percipiamus.

*Laurentius Iu-
stinianus.*

*Fructus Com-
munionis est nõ
retrogradus in
via spiritali.*

Quarto dico, non solum commodum
æstimari progredi, sed etiam non labi, &
retrogradi. Non enim minoris facienda
medicina, quæ nos à morbo præseruat,
quam quæ sanitatem auget. Quod multũ
aduertendum, quod multæ consolatio
fit illis, qui tam manifeste in se huius sa-
cramenti fructum non aduertunt. Videre
fere est, illos qui sapius hoc diuino cibo
vescuntur, in Dei timore vitam agere, &
annum, imo totam vitam elabi, & in mor-
tale peccatum non cadere. Hic demum
præcipuus ferme fructus & huius sacra-
menti effectus est, aliquem conseruare, ne
in peccatum cadat: vt cibi corporei est, vi-
tam corporalem conseruare. Quod rectif-
sime annotauit Concilium Tridentinum,
dicendo esse. *Anchilotum, quo liberamur à
culpæ quotidianis, & à peccatis mortalibus
præseruamur.* Idcirco quamuis in se quis
non sentiat talem feruorem & deuotio-
nem, nec spiritualem illam saturitatem &
consolationem, nec post Communionem
illam agilitatem & promptitudinem ad
bona opera, quæ alii sentire solent, sed po-
tius siccitatem & tepiditatem, ideo mino-
rem fructum non recipit: Et si communi-
cans in aliquo defectu labitur, non commu-
nicans in maiore labetur. Faciamus
ergo, quod in nobis est, vt ea qua dixi-
mus, dispositione & reuerentia acceda-
mus, & magnum anima nostra fructum

*Conc. Trid. sess.
13 de sanctis.
Eucharist. Sa-
cram. c. 2.*

consequitur huius diuini sacramenti fre-
quentatione.

Refert T. Imannus Bredebachius de
quodam Saxonie Duce nomine Wede-
chindo qui gentilis erat, quem cupido in-
cessit videndi, quid in Carolo Magno exer-
citu fieret. Quod vt facilius adsequeretur,
se vt peregrinum induit, & eo profectus
est. Erat tunc temporis septimana sancta,
& omnis exercitus Communionem ac-
cedebat: ipse omnia arte explorat &
inter alia vidit, sacerdotem populo sacra-
mentum Communionem porrigente, eximia for-
ma & splendore puerum in quaque hostia
esse, & in aliquorum ora puerum valde
lærum & hilarem & tam lubenter ingredi,
vt sua sponte iret, & festinans intraret, &
aliorum ora inuitum & quasi coactum in-
trare, nam & faciem auertebat & manus
post dorsum reiciebat & pedes iactabat,
quasi resistens, ne illud os intraret. Quo
miraculo Princeps ille conuertitur & cum
omnibus subditis Christo nomen dat.

Aliud simile exemplum, quod que præ-
dicta exactius exponit, legitur de sacer-
dote quodam seculari, quo Missam dicente
vidit quidam Dei famulus sacrum audiens
sumptionis tempore in patena non panis
speciem sed puerum. Dumque sacerdos se
erigeret, vt sumeret, auertebat puer fa-
ciem, & quasi recusans & contradicens
manus & pedes agitabat, vt illum non re-
ciperet. Idque idem Dei famulus non se-
mel, sed sapius vidit, & quodam tempo-
re Sacerdote cum eo loquente & dicente
se nescire, quid esset, quod Communionis
tempore multa cum difficultate Christi
corpus sumeret. Tunc refert Dei famu-
lus, quid vidisset, & suadebat vt sibi con-
suleret, & se emendaret. Sacerdos boni
monita hæc consilens & compunctus vi-
tam correxit. Et post idem Dei famulus
sacrum audiens puerum ante vt videbat,

sed sumptionis tempore manibus
& pedibus iunctis & magna
cum festinatione os
cius intrare.